

temper fidem. 2. Petr. 1. v. 19. Habemus firmiorem sermonem Prophe-
ticum: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso lo-
co, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

3. Ex usu & effectu Scripturæ sacræ. Quia debet esse norma &
canon Christianæ religionis. Christus ex Scripturis disputavit, & redar-
guit Adversarios. Matth. 4. v. 4. seqq. Scriptum est &c. Resurrectionem
mortuorum è Scripturis demonstravit. Matth. 22. v. 31. Non legistis
quod dictum est à Deo dicente vobis v. 32. Ego sum Deus Abraham &c.
Passionem & mortem. Luc. 24. v. 25. Ubi Christus dixit: O stulti &
tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetae. Simi-
liter & Apostoli, ex Scripturis docuerunt, & disputarunt. Petrus Act. 2.
v. 20. 30. 34. Cap. 1. 16. cap. 3. 8. Stephanus. cap. 7. 2. 52. Philippus. cap.
8. 55. Apollo Judæus cap. 18. 24. Paulus passim. Act. 9. 22. &c.

Deniq; 4. Ex Antiquitate & testimonio Sanctorum Pa-
trum. Irenæus lib. 3. C. 1. de Scriptis Evangelicis ita judicat: Non per
alios dispositionem nostræ salutis cognovimus, quàm per eos,
per quos Evangelium pervenit ad nos. Quod quidem tunc præ-
coniaverunt Apostoli. Postea verò per Dei voluntatem in Scri-
pturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei
futuram.

THESIS VI.

Finis & officium Scripturæ sacræ est, ut sit norma & canon
fidei & vitæ, qui strictissimè observandus est. Deut. 12. v. 8. Non
facietis, quod vobis rectum videtur. v. 32. sed quod præcipio tibi, hoc tan-
tum facito: nec addas quicquam, nec minuas, Deut. 17. v. 18. Postquam
sederit (Rex) in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus
in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribus. Deut. 18.
v. 5. Ipsum elegit Dominus, D E U S tuus, de cunctis tribubus tuis, ut
sitet, & ministret nomini Domini, Dei tui, ipse & filij eius in sempiternum
v. 7. Ministrabit in nomine Domini, Dei sui, sicut omnes fratres ejus Le-
vitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino.

Esa. 8. v. 20. Ad legem & ad testimonium. Matth. 15. v. 9.
frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Luc. 16.
v. 29. Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Vid. D. Broch-
mannum in System. Theol. de Scriptura Sacra cap. 1. Hinc disertè appel-
latur regula: Psalm. 19. v. 5. In omnem terram exivit sonus eorum.

Hebr.